



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Ortv Et Progressv Ac Viris Illvstribvs Ordinis  
Gloriosissimæ Dei Genitricis, semper Virginis Mariæ de  
monte Carmelo**

**Trithemius, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1643**

De Viris Illustribus Ordinis Carmelitarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64495)



## LIBER II.

IOANNIS TRITHEMII  
 ABBATIS SPANHEIMENSIS  
 DE ILLUSTRIBVS VIRIS OR-  
 dinis Carmelitarum.

**P**osteaquam auxiliante Domi-  
 no nostro IESV Christo pri-  
 mum intenti nostri Opuscu-  
 lum de laude Ordinis Fratrum  
 Carmelitarum absoluiamus, li-  
 bet nunc secundum exordiri, in quo fauente  
 Virgine MARIA, de Viris Illustribus, qui va-  
 rijs in eo temporibus claruerunt, sumus habi-  
 turi sermonem. Causa vero ad eam provin-  
 ciam subeundam duplex nos impulit: qua-  
 rum altera Fratres respicit, altera detracto-  
 res. Credimus enim ad ædificationem iunio-  
 rum Fratrum non mediocriter proficere, si  
 viros eruditione insignes, qui in Ordine præ-  
 cesserunt, ad eorum notitiam curemus reuo-  
 care. Per hoc namque doctissimi viri labori-  
 bus suis condignam immortalitatis memo-  
 riam apud posteritatem accipiunt, & minores  
 eius-

eiusdem Ordinis Fratres ad amorem scripturarum prouocantur.

Secunda huius catalogi causa est æmulatio detractorum, qui Ordinem Carmeliticum tanquam infructuosum despiciunt, dum paucos in eo Scriptores Ecclesiasticos & Doctores floruisse credunt. Nos autem dolentes tam sancto, sacratissimoq; Ordini ex ignorantia oblocutorum iniuriam fieri, Doctorum qui in eo varia scripserunt, catalogum, qua licuit breuitate ordinauimus; in quo scriptores omnes, quotquot in notitiam nostram inciderunt, digessimus. Et quanquam multi doctissimi viri huius Ordinis ante transmigratio-

*Ord. Car. plurimos in Oriente habuit Doctores & Scriptores illustres.*

nem in Palæstinam florentes multa conscripserint, tamen cum nobis eorum Opuscula incognita sint, paucos consignauimus è pluribus. Omissis itaque his, qui in Iudæa ab initio claruerunt, eorum duntaxat mentionem facere instituimus, quos clarum eruditionis suæ splendorem dedisse in Europa scimus. Neque tamen omnium eorum facere mentionem, qui floruerunt post transmigrationem, potuimus, eo quod Opuscula eorum & tempora ignoramus. Relinquimus eiusdem Ordinis cultoribus eam Prouinciam, ut ubi nos ex infirmitate defecimus, ipsi nostrum defectum studeant emendare. Iam nunc itaque propositi sumamus exordium.

*Plurima  
alia eius  
scripta vi-  
de apud  
Bellar. de  
Scrip. Eccl*

**S** Cyrillus, Ordinis Carmelitici Monachus, postea Episcopus Alexandrinus, natione Græcus, ex Constantinopoli oriundus, vir sanctus atque doctissimus, Philosophus clarus & Rhetor insuperabilis, infinitis miraculis coruscavit, & prophetiæ spiritu illustratus fuit. Hic tempore Theodosij Imperatoris & Celestini Papæ I. contra Nestorium multa composuit, eumq; in Concilio Ephesino præsidens confutavit. Scripsit Græco sermone multa præclara Volumina, de quibus apud Latinos pauca habentur. *Hic primus permiscuit Philosophiam Aristotelicam Scripturis sanctis, & omnes errores Hæreticorum argumentis fortissimè elisit*, sicut in Gestis tertiæ Synodi Ephesinæ inuenitur. Scripsit autem inter alia *contra Iulianum Apostatam*, lib. 3. *Contra Nestorium quoque*, lib. 1. *De Incarnatione Domini*, plures Homilias. *Epistolas multas ad diuersos*, lib. 1. *Sententias in Synodo Ephesina plures*. Hæc omnia apud Græcos vidimus, & partim legimus; sed nusquam apud Latinos. Claruit sub Theodosio Imperatore Magno, & Celestino Papa I. Anno Domini quadringentesimo xxx.

**B** Ioannes Ierosolymitana Ecclesiæ post B. Iacobum Patriarcha quartus & quadragesimus, primus in ordine narrationis nostræ collocandus accedit. Erat enim vir conuersationis integre atque sanctissimæ, qui uiuus & mortuus infertur claruisse miraculis. Hunc Adrianus Papa I. propter eximiam doctrinam & vitæ excellentiam de Monasterio montis Carmeli sustulit, & in Patriarcham præfatæ vrbs sublimauit. Qui cum in Scripturis diuinis esset peritissimus, nonnulla præclara Syntagmata edidit, quibus ingenium suum posteris declarauit. De quibus extat Voffessoris. *lumen insigne, de Principio & Profectu Ordinis Car-*

*Carmelitici*, lib. I. Scripsit etiam *quasdam ad Fratres Epistolas exhortatorias*. Et *quædam alia*. Claruit temporibus Adriani Papæ I. Anno Domini Maximi I E S V Christi septingentesimo septuagesimo.

**S** Cyrillus alius, Presbyter montis *Carmeli*, tertius in Ordine Prior Generalis, vir doctus & deuotus, ac spiritu prophetiæ illustratus, scripsit nonnulla ingenij sui Opuscula, de quibus feruntur *Epistola ad diuersos plures*, & *quædam ad Abbatem Ioachim Reuelationes. Angelica quoque tabula*, quam de manibus Angeli dicitur recepisse. Alia nonnulla scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit temporibus Henrici Imperatoris V I. & Innocentij Papæ III. Anno Domini millesimo ducentesimo. Errant, qui hos duos Cyrillos vnum esse putant, cum nec tempus in eos consentiat, nec ordo gestorum. Primum enim sub Theodosio in Ephesino Concilio claruisse certum est; & iste sub Henrico VI. vt diximus.

**N**icolaus Gallicus, septimus Prior Generalis totius Ordinis, vir doctus & deuotus, & Deo singulariter dilectus, qui postquam Ordinem aliquot annis strenue gubernasset, officio renunciâns, ad eremum Monasticæ conuersationis reuersus est. Scripsit inter alia Volumen insignne, quod prænotauit, *Sagittam igneam*, in quo flebilem Ordinis sui statum deplorat gemitibus. Quod Aconensi Orientis vrbe nobili a Saracenis expugnata, atque euersa, Monasterium in *Carmelo* quatuor inde milliaribus situm antiquitus, fuerit ab eisdem concrematum, Monachique interfecti, atque Ordo ex Oriente ablegatus. Claruit Anno Domini millesimo ducentesimo LXX.

**S**. Albertus de Trapano Prior Sicilia Prouincia-  
lis, vir in diuinis Scripturis studiosus atque do-  
ctissimus, vita quoque & conuersatione deu-  
tus, miraculisq; adhuc uiuus coruscans, multa uilia  
pro ædificatione Fratrum scripsisse dicitur, quæ ta-  
men ad manus nostras non uenerunt. Moritur in ci-  
uitate Messanens. An. Domini M. CCXCII. Indiæ, v.  
septimo Nonas Augusti, signis gloriosus.

**G**uilielmus de Samuco Carmelitici Ordinis  
singulare decus, vir doctissimus, & S. Theo-  
logiæ Professor insignis, natione Gallus, scri-  
psit ad ædificationem simplicium Fratrum pulchra  
& apta volumina, de quibus subiecta feruntur;  
*Super Sententias*, lib. 4. *Chronica de multiplicacione sui Ordinis*, lib. 1. *Declarationes Religiosorum*,  
lib. 1. Alia quoque nonnulla scripsisse dicitur, quæ  
tamen ad notitiam meam non uenerunt. Claruit  
temporibus Rodulphi Imperatoris, An. millesimo  
ducentesimo octogesimo.

**G**erardus de Bononia, Generalis Prior totius  
Ordinis undecimus, S. Scripturæ Doctor Pa-  
risiensis, ingenio subtilis, Ordinisq; sui ama-  
tor & rector celeberrimus. Scripsit multa præclara  
volumina, quibus memoriam sui posteris commen-  
dauit. *Super Sententias*, lib. 4. *Quodlibeta multa  
& varia*, lib. 1. *Questiones quoque*, lib. 1. *Sermones  
varios*, lib. 2. *Summam Theologia notabilem* incepit,  
quam morte præuentus finire non potuit. Moritur  
tandem, in Auinione sepultus, An. Dñi M. CCCXVII.  
Indiæ. xv. Generalatus uero sui An. XXI.

**S**ibertus de Beka, natione Teutonicus, vir in di-  
uinis scripturis eruditissimus, Doctor omnium  
opinionem & laude celebratus, cultor sui Ordinis  
deuotissimus, scripsit ad ædificationem Fratrum  
quæ

quædam præclara Opuscula, de quibus ista feruntur: *Super Sententias*, lib. 4. *De censuris noui iuris*, lib. 1. *Considerationes super Regulam Ordinis sui*, lib. 1. *Ordinale Dominici Sepulchri* correxit, quod per totum Ordinem obseruari decretum fuit. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Henrico Imperatore VII. Anno Domini M. CCC. & X.

**G**uido Perpinianus, natione Cathalanus, duodecimus Prior Generalis, deinde Maioricensis & postea Eluens. Episcopus, vir in diuinis Scripturis doctissimus, ingenio acutus, scientia profundus, sermone Scholasticus, qui apud Ioannem Papam XXII. in honore & reuerentia habebatur. Scripsit multa præclara Volumina, quibus nomen suum posteritati commendauit. De quibus subiecta feruntur: *Ad IOANNEM Papam XXII.* Opus insigne tripartitum, *de Perfectione vitæ Catholica*, lib. 3. *Super Sententias*, lib. 4. *Quodlibeta sex*, lib. 1. *Questiones varia ordinariè disputata*, lib. 1. *De concordantia Euangelistarum*, lib. 1. *Correctorium decreti*, lib. 3. *De hæresib. ad Cardinalem Albanensem*, lib. 1. *In libros Physicorum*, lib. 8. *Questiones de anima*, lib. 1. Alia quoque multa composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit Anno Dñi MCCCXX. & moritur XXI. Augusti, Auinione sepultus.

**I**oannes de Alerio Tholosanus, tertiusdecimus Prior Generalis totius Ordinis, vir in diuinis Scripturis eruditus, ingenio, scientia & eloquio clarus; vita quoque & conuersatione præcipuus, ac regularis disciplinæ conseruator insignis. Scripsit insigne Volumen *super Sententias*, lib. 4. *In Ecclesiasticam lecturam notabilem*, lib. 1. Et quædam alia, quæ necdum reperi. Claruit Anno Domini MCCC. atque XXX. iacet sepultus in Conuentu suo Tholosano.

**B** Petrus de Casa, Prouinciæ Aquitanix post resignationem Ioannis Alerij, quartusdecimus totius Ordinis Generalis Prior, deinde Episcopus Vassionensis, & postremo Patriarcha Ierosolymitanus, vir in diuinis Scripturis doctissimus, vita & conuersatione deuotus, reliquit ingenij sui quædam præclara Volumina, de quibus ista feruntur: *Super Sententias*, lib. 4. *Sermones de Tempore, & de Sanctis*, lib. 2. *Lecturam quoque in librum Politicorum notabilem*. Et quædam alia, quæ nos latent. Claruit Anno Domini mccc. atque xxx. Moritur autem pridie Nonas Augusti, miraculis coruscans.

**I**oannes Walsigram, Prior Prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis doctissimus, Philosophus acutus, & S. Theologiæ Doctor Parisiensis. Scripsit notabiliter *super Sententias*, lib. 4. *Quæstiones varias, & Quodlibeta*. Alia quoque nonnulla composuit, quæ ad notitiam meam non uenerunt. Claruit sub Benedicto Papa XII, Anno Domini mccc. atque xl.

**S**imon de Spira, natione Teutonicus, Prior Prouincialis totius Alemanniæ, Doctor Parisiensis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & sæcularium literarum non ignarus, ingenio præstans & clarus eloquio. Scripsit *super Sententias*, lib. 4. *Sermones quoque varios*. Et *quasdam in diuinis voluminibus lecturas*. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, sed ad manus nostras non uenerunt. Moritur sub Benedicto Papa XII, Anno Domini mcccxl. Indiæ. 8. Idum Ianuaris. Colonia in suo Conuentu sepultus.

**P**etrus Raymundi de Grassa, natione Gallus, Conuentus Tarsacij Prouinciæ Narbonensis, quintusdecimus Prior Generalis, vir doctus & deuo-



deuotus, scripsit multa præclara Volumina, quibus sui memoriam posteris commendauit. E quibus extant subiecta: *Super Sententias*, lib. 4. *Ordinis quoque sui diuersa Statuta in unum Volumen collegit, & in Rubricas sexaginta Collectiones easdem distinxit.* Sed & alia quædam composuit, quæ ad notitiam nostram non uenerunt. Moritur autem Anno Domini MCCCLVII. Indict. x. sub Papa Innocentio VI. Sepultus in monte Pessulano, Anno sui officij Generalatus XVI.

**I**oannes de Bachone, natione Anglicus, Prior Prouincialis Angliæ, Doctor Parisiensis, vir undecunque doctissimus, Philosophus, Iurista & Theologus celeberrimus, ingenio subtilis, & clarus eloquio; scripsit multa præclara Opuscula, de quibus feruntur subiecta: *Super Sententias*, lib. 4. *In Euangelium Matthæi*, lib. 1. *In Euangelium Marci*, lib. 1. *In Euangelium Luca*, lib. 1. *In Euangelium Ioannis*, lib. 1. *In Epistolas Pauli*, lib. 14. *In Actus Apostolorum*, lib. 1. *In Epistolas Canonicas*, lib. 7. *In Apocalypsim Ioannis*, lib. 1. *Quæstiones variæ disputata*, lib. 1. *Speculum Ordinis sui*, lib. 1. *Defensorium Ordinis sui*, lib. 1. *Super Metaphysicam Aristotelis in duobus Voluminibus*, lib. 12. *Super de Anima*, lib. 3. *Vide Ioan. Pitsea de*  
 ta composuit, quæ ad notitiam meam non uen- *alijs eius*  
 runt. *Explanationes quoque varias edidit super libros scriptis in*  
*B. Augustini de Trinitate*, & *de Ciuitate Dei*. lib. *de Scri*  
*Atque Anselmi, Cur Deus Homo, & de Incarnatione* *pto, Angl.*  
*Verbi*; in quibus omnibus ingenium suum magnifice exercitauit. Claruit temporibus Caroli Imperatoris IV. & Clementis Papæ VI. Anno Domini MCCCXLV.

**P**aulus de Perusio, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, atque in sæcularibus libris egregie doctus, ingenio subtilis, sermone scholasticus,

sticus, edidit magnæ auctoritatis quædam Opuscula, quibus nomen suum posteritati commendauit. E quibus extat Volumen insigne *super Sententias*, lib. 4. *Quæstiones quoque varia*, lib. 1. Et quædam alia. Claruit Parisijs sub Clemente Papa VI. Anno Domini MCCCXLIV.

**I**oannes Balistarij Cathalanus, Prior totius Ordinis Generalis XVI. vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularibus, philosophiæ scrutator acutus, ingenio præstans & clarus eloquio, scripsit quædam præclara volumina, quibus nomen suum posteris destinauit. E quibus extant subiecta: *Super Sententias*, lib. 4. *Constitutiones Ordinis sui*, lib. 1. *De nouissimis temporibus ad Papam*, lib. 1. Et quædam alia. Moritur Anno Domini MCCCXLIV. Indiæ. XII. Kalend. Octobr. in Conuentu Maioricarum sepultus.

**P**etrus Rimi de Perpiniano, patria Cathalanus, vir valde eruditus, Doctor S. Scripturæ, ingenio profundus, & clarus eloquio, scripsit insigne Volumen *super Sententias*, lib. 4. *In totum quoque Psalterium*, lib. 1. *Sermones in super. & varios, & elegantes* composuit, qui ad manus nostras non uenerunt.

**H**erenus de Boyo, natione Brito, vir in diuinis Scripturis peritissimus, & sæcularis philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, eloquio scholasticus, & sanctarum interpres literarum, Doctorq; Parisiensis profundus, fertur nonnulla præclara volumina cudisse, quibus memoriam sui posteris commendauit. E quibus extat Opus insigne *super Sententias*, lib. 4. *Quæstiones varia*, & alia quæ nos latent.

**I**oannes de Regno, natione Gallus, Conuentu Tholosanus, in Scripturis sanctis Doctor eruditus,  
inges

ingenio subtilis, & promptus eloquio. Scripsit *super Sententias*, lib. 4. *In Euangelium Matthæi*, lib. 1. *Sermones de Tempore & de Sanctis*, lib. 2. *Quadragesimale quoque*, lib. 1. Et quædam alia.

**S** Petrus Thomæ, Episcopus Pacensis, ac postea Patriarcha Constantinopolitanus: vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, vita & conuersatione sanctissimus: quippe qui multis & viuis & mortuis miraculis coruscavit. Fertur nonnulla præclara scripsisse Opuscula, quibus ingenium suum vtiliter exercitauit. De quibus feruntur subiecta: *Super Sententias*, lib. 4. *De purissima Conceptione B. Mariæ Virginis*, lib. 1. *Sermones quoque var.* lib. 1. *Et quædam ad diuersos Epistolas*. Moritur Anno Dñi MCCCLXVI. Indictione tertia, 8. Iduum Ianuarias, miraculis clarus.

**C** Sbertus natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæculari philosophia egregiè doctus; acuti & vehementis ingenij, eloquij scholastici, in disputandis soluendisq; quæstionibus Scripturarum promptus & subtilis. Scripsit elegantissimum Volumen *super Sententias*, lib. 4. *Quæstiones varias disputatas*, lib. 1. *Sermones quoque diuersos*, lib. 1. Alia insuper nonnulla scripsisse dicitur, quæ nos ignoramus.

**T** Hilmannus Conuentus Aquensis, natione Teutonicus, Prior Prouincialis inferioris Alemanniæ, sacrarum litterarum insignis Professor, ingenio præstans, & clarus eloquio, declamator sermonum egregius. Scripsit *super Sententias*, lib. 4. *In Euangelium Matthæi lecturam notabilem, quam Colonia in Conuentu publicè legit*, lib. 1. *Sermones quoque varios*; & quædam alia. Claruit Anno Domini MCCCLXX.

Hen-

**H**enicus Dolendorp, natione Teutonicus, ante Thilmannum Prouincialis Prior inferioris Alemanniæ, vir doctus & eruditus, & declamator celeberrimus, ingenio præstans & eloquio scholasticus, disputator quæstionum acerrimus, scripsit *notabile Opus super Sententias*, lib. 4. *Sermones quoque varios & viles*. Et quædam alia. Moritur in Conuentu Colonienf. sepultus Anno Domini MCCCLXVI. Indictione tertia, 4. Iduum Febr.

**P**hilippus Riboti, Prior Prouincialis Cathaloniz, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, ingenio promptus, eloquio apertus, ac regularis disciplinæ curiosus moderator. Scripsit inter alia ingenij sui monumenta *Opus insigne de Origine & Progressu Ordinis sui*, quod prænotauit *de peculiaribus gestis Fratrum Carmelitarum*, lib. 10. Alia quoque nonnulla composuisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt.

**R**obertus de Monstrolo, natione Gallus, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, decus quondam Gymnasij Parisiensis. Scripsit *super Sententias*, lib. 4. *In Epistolas Pauli notabilem lectionem*, lib. 14. *Quæstiones varias*, lib. 1. *Sermones quoque de Tempore, & de Sanctis*, lib. 2. Alia etiam nonnulla scripsisse dicitur, quæ necdum vidi.

**I**oannes Fust Conuentus Crutzenacensis Lector, & postea Prior Argentinenfis, natione Teutonicus, ex Comitatu Spanheimensi oriundus, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, declamator sermonum celeberrimus. Scripsit inter alia *Sermones elegantes de Tempore*, lib. 2. *De Sanctis quoque*, lib. 2. *Sermones per Quadragesimam*, lib. 2. Et alia quæ nos latent.

Ioan-

**I**oannes de Hildesheim vrbe Saxonix oriundus. Lector Conuentus ibidem, in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, secularium quoque literarum non ignarus, Philosophus & Poeta insignis, Carmine exercitatus & Prosa, declamator sermonum ad populum famatissimus. Scripsit non contemnenda lectionis Opuscula, de quibus feruntur subiecta: *Ad Florentium Episcopum Monasteriensem in VVestphalia de Translatione Trium Regum in ciuitatem Coloniensem*, lib. 1. *Chronica quoque iucunda & utilis*, lib. 1. *Defensorium Ordinis sui*, lib. 1. *De fonte vita*, lib. 1. *De Antichristo*, lib. 1. *Contra Iudaos*, lib. 1. *Contra turpia pingentem*, lib. 1. *Opus metricum de Monstris in Ecclesia*, lib. 1. *Epistolarum ad diuersos*, lib. 1. *Sermones de Tempore & de Sanctis*, lib. 2. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam adhuc non venerunt. Claruit sub Carolo Imperatore IV. Anno Domini MCCCLXX. & varia Carminum composuit Epigrammata.

**I**oannes Golein, Normannus natione, Prior Rothomagensis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, atque in secularibus libris sufficienter doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio: Scripsit non spernenda auctoritatis Opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis cum gloria transmisit. E quibus extant *super Sententias*, lib. 4. *Super officio Missæ*, lib. 1. *Quæstiones quoque varia*. Et, vt ferunt, quædam alia.

**I**oannes Tacesfale, natione Anglicus, Conuentus Noruicensis, vir doctus & in Scripturis sanctis atque in Iure & Philosophia multum eruditus, ingenio promptus, & ad declamandum sermones ad populum idoneus: Scripsit *super Sententias*, lib. 4. *In Apocalypsim lecturam notabilem*, lib. 1. *Sermones quoque varios ad populum*. Alia insuper nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Missus tandem Romam, ibidem mortuus est.

Ar-

**A**rnoldus de Biffalis, Episcopus Galtellienfis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio profundus, & clarus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus excellentis opinionis: scripsit *notabile Opus sermonum Dominicæ*, quod sic incipit: *In medio Carmeli pascetur Bajan.* Cætera quæ scripsisse dicitur, nos latent.

**I**oannes Hornebij, natione Anglicus, Doctor in Scripturis sanctis copiosus & eruditus, ingenio subtilis, & disputator quæstionum acutissimus, fertur nonnulla præclara composuisse Opuscula, quibus venam abundantis ingenij sui etiam posteris notificauit. E quibus extat *Opus defensorium antiquitatis Ordinis sui*, lib. I. *Sermones quoque varij.* Et quædam alia. Claruit in Gymnasio Canthabrigens. An. Domini MCCCXXIV. vbi varia composuit.

**F**ranciscus Martini, natione Cathalanus, Conuentus Barchinonensis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripsisse autem nonnulla Opuscula dicitur, in quibus profunda scientia eius demonstratur. E quibus extant subiecta. *De Conceptione B. Mariæ semper Virginis*, lib. I. *Compendium in honorem Ordinis sui*, lib. 7. Et quædam alia. Claruit in Conuentu prædicto, An. Domini MCCCXXX.

**F**ranciscus de Bachone, Conuentus Gerundenfis, vir in diuinis Scripturis doctus, & secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio subtilis, & disputator acutus: Scripsit *insigne Volumen super Sententias*, lib. 4. *Summam etiam quandam Prædicantium*, lib. I. Alia quoque plura composuisse dicitur, quæ ad manus nostras non venerunt.

Ioan-

**I**oannes de Ciminetho, Lector Conuentus Me-  
tensis, natione Gallus, vir in diuinis Scripturis  
studiosus & multum eruditus, ingenio præstans,  
& clarus eloquio; declamator sermonum popula-  
rium egregius. Scripsit *Speculum institutionis Or-*  
*dinis sui*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones*  
*quoque de Sanctis*, lib. 1. *Sermones per Quadragesimam*,  
lib. 1. Alia quoque nonnulla composuisse dicitur,  
sed ad notitiam meam adhuc non venerunt.

**I**oannes Nobleth, natione Gallus, Conuentus  
Parisiensis, vir in diuinis Scripturis studiosus & e-  
ruditus, & in sæcularibus litteris egregiè doctus,  
Philosophus & Medicus insignis: Scripsit ingenij sui  
quædam præclara Opuscula, quibus nomen suum  
cum gloria transiit ad posteros. De quorum nu-  
mero subiecta feruntur: *Opus insigne, quod præno-*  
*tavit Centilogium*, lib. 1. *In Euangelium Ioannis*,  
lib. 1. *In multos quoque alios Bibliæ libros Commen-*  
*tarios & lecturas* compilasse dicitur, quæ ad notitiam  
meam non venerunt.

**N**icolaus Dorhm, natione Anglicus, Doctor  
Oxonienſis, in Scripturis sanctis eruditus, &  
in Philosophia Aristotelica subtiliter doctus,  
acutus ingenio & vehemens, disputator questionum  
scholasticarum insignis: Scripsit *super Sententias*, l. 4  
*Determinationes quoque diuersarum questionum*, l. 1.  
*Tabulam originalium*. Alia insuper multa scripsisse  
dicitur, quæ ad me non venerunt.

**I**oannes Marre, natione Anglicus, Doctor Oxo-  
niensis, in Scripturis sanctis studiosus & eruditus,  
ingenio subtilis & vehemens: Scripsit inter alia  
exercitij sui Opuscula, *Determinationes contra ha-*  
*reticos VVickleffitas*, lib. 1. Alia quoque multa scri-  
psisse dicitur, sed ad notitiam meam adhuc non ve-  
nerunt.

Ioan-

**I**oannes de Gluel, natione Teutonicus, Prior Conuentus Coloniensis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & secularis Philosophiæ non ignarus, ingenio clarus, vita & conuersatione deuotus. Scripsit *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Sermones per Quadragesimam*, lib. 1. Alia quoque nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Claruit in Conuentu suo Coloniensi, vbi & sepultus est.

**V**alterus Disse, natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & declamator sermonum popularium celeberrimus, ingenio subtilis, & apertus eloquio: Scripsit non spernendæ lectionis Opuscula, de quibus subiecta feruntur: *Contra Lolhardos*, lib. 1. *De schismate*, lib. 1. *Super quosdam Psalmos*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. Et quædam alia, quæ ad notitiam meam non venerunt. Hic fuit Nuncius & Legatus BONIFACII Papæ IX. in Regnis Angliæ, Hispaniæ, Portugaliæ, Nauarreg, Arragoniæ, & in partibus Vasconiæ, Crucem contra Hæreticos & Schismaticos prædicans. Claruit sub Wenceslao Imperatore, Anno Domini MCCCLXXX. & in Conuentu Noruicensi sepultus est.

**P**hilippus de Ferraria, natione Siculus, Episcopus (vt quidam volunt) Pacensis, Doctor S. Theologiæ celeberrimus, ingenio clarus, & scientia profundus, sermonum declamator egregius. Scripsit valde notabiles *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. Et quædam alia. Claruit in Regno Siciliæ, prædicans coram Rege & alijs, non sine fructu omnium.

**R**ichardus Lauinham, natione Anglicus, sacrarum literarum Doctor Oxoniensis, vir subtilis  
& ve



& vehementis ingenij, disputator quæstionum acutus, & declamator sermonum egregius: Scripsit quædam præclara Opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit. E quibus extant subiecta: *Contra Lolhardos determinationes*, lib. 1. *Determinationes quoque notabiles pro libro Reuelationum S. Brigitta*, quas in *Gymnasijs Oxoniensi & Londoniensi publice legit*, lib. 1. *Opus quoque insigne de Ordinis sui fundatione incepit*, quod morte præuentus non compleuit. Composuit etiam *nonnulla in Logicalibus & Philosophicalibus*, quæ ad manus nostras non venerunt.

**R**ichardus Maidescoteus, natione Anglicus, Doctor S. Scripturæ Gymnasij Oxoniensis, ingenio præstans, & clarus eloquio, declamator sermonum egregius: fertur quædam præclara cussisse Opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit. E quibus extat *contra Lolhardos*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Et varia quæstiones*. Alia insuper nonnulla composuit, quæ ad notitiam meam non venerunt.

**G**uilhelmus Talisfordiæ, natione Anglicus, Doctor SS. Scripturarum studij Cantabrigiæ, vir eruditus & studiosus, ingenio subtilis, vita & conuersatione deuotus, declamator sermonum egregius, scripsit valde notabiles *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Varias quoque lecturas scripturarum* composuit, quas in præfato Gymnasio legit.

**T**homas Lombe, natione Anglicus, Doctor sacrarum literarum celeberrimus Gymnasij Oxoniensis, vir sapientia & eruditione clarus, ingenio subtilis, & disputator quæstionum scholasticarum acutus: Scripsit *contra Lolhardos & Wicklessitas*, lib. 1. *De Incarnatione Verbi*, lib. 1. Dicitur & alia scripsisse Opuscula, quæ necdum vidi.

D

Nico-

**N**icolaus Ritzonis, Conuentus Cathanenſis, natione Siculus, & Prior Prouincialis Siciliae, Doctor Theologus Gymnaſij Bononiensis, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij: Scripsit, dum adhuc Bononiae literis operam daret, *Sermones elegantes de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Duo insuper Quadragesimalia* composuisse dicitur; quorum lectio declamatoribus utilis iudicatur. Alia quoque nonnulla edidit, quae ad notitiam meam non venerunt.

**I**oannes Campſconenſis, natione Anglicus, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & saecularis Philosophiae non ignarus; ingenio praestans, & clarus eloquio, declamator sermonum popularium excellentissimus. Scripsit ad utilitatem legentium *Sermones de tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. Cetera, quae composuit, ad notitiam meam non venerunt.

**I**oannes Schonhouen, natione Teutonicus, Prior Conuentus Mechliniensis, vir in diuinis Scripturis studiosus, & longa exercitatione doctus, ingenio subtilis, & promptus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij: Scripsit *notabile Opus in duobus Voluminibus secundum ordinem alphabeti, quod praenotauit, Polipodion, Praedicatoribus verbi Dei valde accommodum*, lib. .... *Sermones quoque de Tempore, & de Sanctis* varios edidit: & quaedam alia.

**B**lasius Andernarij, natione Gallus, vir in Scripturis sanctis studiosus & eruditus, & saecularium literarum non ignarus; scripsit nonnulla praecleara Volumina, quibus acrimoniam ingenij suam etiam posteris notificauit. E quibus extat *Opus celebre super Sententias*, lib. 4. *Quaestiones quoque varia*

*in scholis disputate. Cætera vero, quæ composuit, ad notitiam nostram minime venerunt.*

**H**enicus de Andernacho, natione Teutonicus, Coloniensis Diœcesis, vir tam in Scripturis diuinis quam in sæcularibus scientijs studiosus & eruditus, ingenio promptus, & disputator acutus: Scripsit *Volamen insigne super Sententias*, lib. 4. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Quæstiones Philosophia*. Sed & alia quædam composuit, quæ ad me non venerunt.

**S**tephanus Anglicus, Doctor Oxoniensis, & Prior Prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis eruditus, & sæcularis Philosophiæ non ignarus, ingenio præstans, & clarus eloquio, non minus vitam quam eruditione decorus. Scripsit *contra Lolhardos*, lib. 1. *Sermones tam de Tempore, quam de Sanctis per circulum anni notabiles*, lib. 2. *Quæstiones quoque varias*, lib. 1. *Repertorium argumentorum suorum*, lib. 1. *Lecturas etiam quasdam notabiles in Biblia libros edidit, cum alijs multis, quæ me latent.*

**A**rnoldus de Austria, natione Teutonicus, Conuentus Viennensis, & Gymnasij eiusdem urbis Doctor, in diuinis Scripturis valde eruditus, & in sæculari Philosophia notabiliter doctus, ingenio subtilis, & disputator quæstionum scholasticarum egregius, fertur nonnulla præclara scripsisse Opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit. E quibus extat *Volumen insigne super Sententias*, lib. 4. *Sermones quoque & varia quæstiones*. Claruit in præfato Gymnasio Viennensi, ubi & dictam lectionem suam libri Sententiarum publice legit.

**I**oannes Brammart, natione Teutonicus, Conuentus Aquensium Prior Prouincialis inferioris

Alemannia, Doctor Parisiensium in Scripturis diuinis studiosus & eruditus, ingenio subtilis, & compositus eloquio, vita & conuersatione deuotus, scripsit *insigne opus super Sententias quatuor libros continens*, quod Parisijs compleuit. Anno Domini MCCCLXXX. Indictione 3. Incipit autem sic: *Verbum Domini super Ioannem. Sermones quoque & varias quaestiones.* Moritur, in Conuentu Colonienſi ſepultus, Anno Domini MCCCXVII. Indictione XV.

**M**ichael de Bononia, natione Italus, Prior Generalis, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & ſæcularium literarum non ignarus, ingenio clarus, & diſertus eloquio: Scripsit multa præclara Opuscula, quibus memoriam ſui poſteris commendauit. E quibus ſubiecta feruntur: *Super Sententias*, lib. 4. *Sed & quaestiones Sententiarum*, lib. 1. *Tabula Sententiarum*, lib. 1. *In totum Psalterium Opus grande*, lib. 1. *In Euangelium Matthæi*, lib. 1. *In Euangelium Lucae*, lib. 1. *Tabula Moralium Gregorij Papa in Iob*, lib. 1. *Tabula super decreto*, lib. 1. *Depurissima Conceptione B. Mariae semper Virginis*, lib. 1. *Sermones varij*, lib. 1. *Quadragesimale notabile*, lib. 1. *In multos etiam libros Aristotelis commentatus est*, in *Valerium quoque Maximum*, in *Philosophia*, in *Iure Canonico*, & in *Oratoria* ſimiliter varia ſcripsit. Et multa alia, quæ ad me non uenerunt. Moritur Bononia, ante ſummum Altare ſui Conuentus ſepultus, Anno Domini MCCCXVI. Kal. Decemb.

**I**oannes Groſſi, patria Tholoſanus, Prior Ordinis Generalis, Doctor diuinarum Scripturarum inſignis, & ſæcularis Philoſophiæ non ignarus, ingenio clarus, & promptus eloquio: Scripsit nonnulla Opuscula, de quibus ſubiecta feruntur: *Opusculum de Ordinis ſui inſtitutione & profectu*, quod prænotauit *Viridarium*, lib. 3. *Sermones quoque & varia in Scripturis quaestiones.* Moritur ſub Martino Papa V. An-

Anno Domini M. cccc. quarto & vicesimo. Indictione secunda.

**B** Thomas Valden, natione Anglicus, Prior Prouincialis Angliæ, vir in diuinis Scripturis studiosus, & valde eruditus, & in sæculari Philosophia egregie doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, *Hæreticorum Malleus & fortissimus expugnator*; Scripsit infigne Opus contra *VVickleffitas*, quod prænotauit, *Doctrinale Ecclesia*, lib. 1. In multos quoque libros *Aristotelis Commentarios* fecit, qui à multis in pretio habentur. Alia insuper nonnulla edidit, quæ ad notitiam meam non venerunt. Moritur non sine opinione sanctitatis, Rothomagi sepultus, Anno Domini Mccccxxx. Indictione octaua, 3. Nonas Nouembr.

Hic Martinus V. Pæt. Max. Validum Ecclesie Ensem nuncupare solebas.

**I**oannes Bernegam, natione Anglicus, Doctor in diuinis Scripturis eruditissimus, & in sæcularibus literis egregie doctus, in declamandis ad populum sermonibus, disputandisque quæstionibus Scripturarum excellentis ingenij: Scripsit *super Sententias Opus præclarum*, lib. 4. Et quædam alia. Claruit sub Eugenio Papa IV, Anno Domini, Mccccxxx

**M**ichael Herbrant de Duren, natione Teutonicus, Prior Conuentus Crutzenacensis, vir in Scripturis sanctis studiosus & eruditus, & multarum rerum experientia clarus, ingenio præstans, & verbi diuini Prædicator egregius: Scripsit quædam non spernendæ lectionis Opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit. E quibus extant *Sermones, & plures, & notabiles*, lib. 1. *Collationes quoque multa & varia in Capitulis & Synodis habita*, lib. 1. Cætera, quæ composuit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Ruperto Bauaro, Rege Romanorum, Anno Domini M. cccc. x.

D 3

Ioan-

**I**oannes Gauuuer, natione Teutonicus, Conuentus Maguntinensium Lector, in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij fuit. Scripsit quædam præclara Opuscula, de quibus reperit subiecta: *Super Sententias*, lib. 4. *In Exodum*, lib. 1. *Vnum Euangelium ex quatuor*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Quadragesimale*, lib. 1. Cætera, quæ composuit, ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Sigismundo Imperatore Anno Domini M. cccc. xxx. sepultus in Conuentu suo Maguntinensium.

**I**acobus de Regio, natione Italus, vir in diuinis Scripturis doctissimus, & in secularibus literis magnificè imbutus, trium linguarum principalium Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritus, ingenio clarus, & disertus eloquio, Metro excellens & Prosa. Scripsit notabiles Sermones per *Quadragesimam*, lib. 1. *Multa etiam carmina* scripsisse dicitur, sed ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Friderico Imperatore III. Anno Domini M. cccc. lx.

**I**oannes Soreth, natione Normannus, Prior totius Ordinis Generalis, vir in diuinis Scripturis doctus & eruditus, ingenio subtilis, sermone compositus, vita & conuersatione deuotus, atque sanctissimus, maximus & feruentissimus sui Ordinis Reformator, pro cuius institutione & multos & dueros labores patientissime sustinuit: Scripsit quædam præclara Volumina, quibus venam ingenij sui etiam posteris notificauit. E quibus subiecta feruntur: *Super Sententias*, lib. 4. *Sermones varij*, lib. 1. *In Regulam Ordinis sui duplex Commentum* edidit, lib. 2. *Constitutiones quoque eiusdem Ordinis* comportauit. Moritur Andegauis sub Friderico Imperatore III. & Sixto Papa IV. Anno Domini M. cccc. lxxi. Indictione

diétione 4. 8. Kal. Augusti, multis quotidie miraculis coruscans.

**G**olvvinus Hex, patria Brabantinus, Conuentus Vliſſinensis Episcopus Ieropolitanus, Traiectensis Episcopi Vicarius in Pontificalibus, vir in diuinis Scripturis egregie doctus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, in declamandis ad populum sermonibus valde eruditus: Scripsit *de decem Præceptis*, lib. 1. *Directorium turbata conscientia*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones de Sanctis*, lib. 1. Et quædam alia. Moritur sub Friderico Imperatore III. Anno Domini M. cccc. lxxv. Indictione 8. Kalend. Aprilis.

**I**oannes Beets, natione Teutonicus, Conuentus Thenensis, Doctor sacrarum literarum celeberrimus, & in philosophia sæculari multum eruditus, ingenio subtilis, eloquio clarus, disputator acutus, Dei verbi Prædicator egregius, non minus conuersatione quam scientia venerabilis. Scripsit ad ædificationem Fratrum quædam præclara Volumina, de quibus feruntur subiecta: *In Epistolam Pauli ad Romanos*, lib. 1. *Præceptorium diuinæ legis*, lib. x. *De Sacramento Altaris*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones quoque de Sanctis*, lib. 1. *Questiones varia disputata*, lib. 1. Et quædam alia. Moritur Anno Domini M. cccc. lxxvi. 16. Kal. Augusti.

**V**alterus Hont, natione Anglieus, vir in diuinis Scripturis valde eruditus, & sæcularium literarum non ignarus, ingenio subtilis, scientia profundus, studio & exercitatione lectionis continuus, fertur nonnulla præclara scripsisse Opuscula, quibus memoriam sui posteris commendauit. E quibus extat *Opus insigne super Sententias*, lib. 4. *De paupertate Christi*, lib. 1. Alia insuper quam multa composuisse dicitur, quæ ad notitiam meam non

venerunt. Claruit sub Sixto Papa IV. Anno Domini  
MCCCLXXX. Et nescio, si adhuc viuat.

*Fuit hic  
Archiepis.  
Panormit.  
ac Sicilia  
Primas.*

**P**Aulus Biscontus, NICOLAI Papæ V. quondam  
Confessor, vir in diuinis Scripturis iugi studio  
exercitatus & eruditus, ingenio subtilis, & cla-  
rus eloquio: fertur de varijs rebus multa scripsisse  
Opuscula, quibus nomen suum posteris notificauit,  
Ego tamen vsque in hunc diem nihil eorum potui  
inuenire. Claruit Anno Domini millesimo cccc,  
& XL.

**I**Oannes de Dufeldorp, natione Teutonicus,  
Conuentus Maguntinensis, & Prior Argenti-  
nensis, vir in diuinis Scripturis studiosus, & Do-  
ctor valde eruditus, ingenio promptus, & clarus e-  
loquio, in declamandis ad populum sermonibus  
facundus, & multum idoneus, vita & conuersa-  
tione deuotus, & regularis disciplinae custos & a-  
mator præcipuus. Scripsit *de obseruantia dierum Fe-  
storum*, lib. 1. *Itinerarium Terra sancta, quam per-  
sonaliter visitauit*, lib. 1. *Sermones varios de Tempore  
& de Sanctis*, lib. 2. Et alia complura. Moritur in  
Conuentu suo Argentinensi sepultus, Anno Domini  
MCCCCXIV. Indictione vero XII.

**I**Oannes Consobrinus, patria Portugalis, vir  
in diuinis Scripturis eruditissimus, & sæcularium  
literarum non ignarus, Theologus, Philosophus  
ac Iurista celeberrimus, ingenio subtilis, & clarus  
eloquio, declamator sermonum egregius, qui mul-  
ta contra Hæreticos fortiter gessit pro Christi amo-  
re: Scripsit ad instantiam præpositi regalis Collegij  
Diuæ Mariæ de Amhten in Anglia *Opus tripartitum  
insigne de Contractibus & Commutationibus*, quod  
prænotauit, *de Iustitia commutatiua*, lib. 4. *Sermo-  
nes quoque varios*. Et quedam alia, Constatum  
Francisci Maronis grato compendio abbreviauit.  
Cla-



Claruit Anno Domini M. cccc. lxxv. Et sub Sixto Pontifice IV. Vlixbonæ non sine veneni potati opinione mortem subiit.

**I**oannes de Arundine, natione Teutonicus, Conuentus Brugensis, Episcopus Vsbitenfis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in sæculari Philosophia egregie doctus, declamator sermonum celeberrimus, ingenio subtilis, eloquio & conuersatione clarus: Scripsit multa præclara Opuscula, quibus nomen suum longe notificauit. De quibus feruntur subiecta: *Lectura notabilis in librum Sapientia*, lib. 1. *In Epistolam Pauli ad Romanos*, lib. 1. *Super, Beati immaculati, Sermonum*, lib. 1. *Sermones de Tempore*, lib. 1. *Sermones de Sanctis*, lib. 1. Alia quoque multa scripsisse dicitur, quæ ad notitiam meam non venerunt. Viuit adhuc in vrbe Traiectensium Vicarius Episcopi in Pontificalibus ibidem existens.

**B**aptista Ferrariensis, vir in diuinis Scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris egregie doctus, metro excellens & prosa, vtriusque linguæ peritus, in declamandis sermonibus ad populum excellentis ingenij: Scripsit multa instructa Volumina, quibus nomen suum longe lateque diuulgauit. E quibus subiecta feruntur: *Opus luculentissimum historiarum à Christi natiuitate vsque ad nostra tempora, quod Floridam prænotauit*. *Chronica quoque sui Ordinis*, lib. 1. *De ruina Roman. Imperij*, lib. 1. *De monte Syna*, lib. 1. *Vita Mechtildis*, lib. 3. *Chronica Ferrariensium*, lib. 1. *Sermones varij*, lib. 3. *Multa Epigramata diuerso genere metri composuit*. *Conuerit de Græco in Latinum complures Sermones B. Ioannis Chrysofomi*. Et alia plura nobis incognita. Viuit vsque hodie apud Ferrariam, & varia conscribit.

**I**oannes Vuirici, de Nussia, natione Teutonicus, Conuentus Coloniensis, Prior Prouincialis inferioris Alemanniae, vir in diuinis Scripturis studiosus & eruditus, & in saeculari Philosophia egregie doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, diuini verbi Praedicator famosus, fertur ab his, qui eum nouerunt, scripsisse *super Sententias*, lib. 4. *Sermones & Collationes varias*, quae suo tempore prodibunt in lucem. Viuit adhuc in Conuentu suo Coloniensi varia conscribens.

**I**oannes Placentinus, vir vndecunque doctissimus, Theologus & Rhetor celeberrimus, ingenio promptus, & disertus eloquio, Graecae ac Latinae linguae peritissimus, quippe qui multa eleganter traduxit: Fertur complura scripsisse Opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecrauit. E quibus vidi duntaxat. *Vocabularium Graecum*, Opus profecto utile & necessarium, lib. 1. Extat eius & aliud *Volumen minus*, ubi Latinum Graeco praepositur, lib. 1. *Ad Ludonicum Donatum Episcopum Bergomensem* e Graeco Psalterium de verbo ad verbum propriissime transtulit, quod Opus nemo digne laudare sufficit: in quo Graecam translationem praemisit literis Graecis, & suam subnectit Latinis. *Epistolas & plures & elegantes ad diuersos composuit*. Alia quoque multa scripsisse dicitur, quae ad notitiam meam non venerunt. Claruit sub Innocentio Papa VIII. Et credo eum adhuc viuere.

**I**oannes Scandeberi, Episcopus Erfordensis in Anglia, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & saecularium literarum non ignarus, ingenio subtilis, & clarus eloquio, vita quoque & conuersatione deuotus: Fertur multa praecleara scripsisse Opuscula, quibus nomen suum longe lateq; notificauit, Sed nihil eorum ad notitiam meam peruenisse memini.

mini. Claruit in Anglia sub Sixto Papa IV, Anno Domini M. cccc. lxxx. Nescio si adhuc viuat.

**B**aptista Mantuanus, vir in diuinis Scripturis eruditissimus, & in secularium literarum scientia nulli hoc tempore secundus, S. Theologiae Doctor insignis, Philosophus, Orator & Poëta celeberrimus, ingenio subtilis, sermone disertus, vita & conuersatione præclarus, vtriusque linguæ, Græcæ videlicet ac Latinae peritus, qui Metro Virgilium, Ciceronem Prosa æquat, ne dicam superat. Scripsit vtroque genere stili multa egregia Volumina, quibus nomini suo per vniversum Orbem Christianum celebrem famam acquisiuit. E quibus subiecta feruntur: *Dialogus de beata vita ad genitorem suum*, lib. 1. *Suburbanus metrice de Bucolisis*, lib. 1. *De laudibus S. Mariae Parthenices*, lib. 3. *De S. Katharina Martyre*, lib. 1. *De vita Ludouici Bononiensis*, lib. 1. *De vita S. Alberti sui Ordinis carmine Sapphico*, lib. 1. *De calamitate horum temporum, siue de peccatis capitalibus carmine Heroico, elegantissimum Opus*, lib. 1. *Panegyricus Roberti*, lib. 1. *Somnium suum de eodem*, lib. 1. *Ad Falconem Epigrammatum Opus varium, quod Falconem pranotauit*, lib. 1. *Consolatio super morte*, lib. 1. *De contemptu mortis*, lib. 1. *Contra Poetas turpia scribentes*, lib. 1. *Ad Innocentium Papam VIII. de expugnatione Granata*, lib. 4. *De patientia*, lib. 1. *De ortu & diuersitate Religionum*, lib. 1. *Apologia pro Fratre Petro*, lib. 3. *Introductorium subtilis Scoti*, lib. 1. *Orationes elegantes & variae*, lib. 1. *Epistolas penè ad diuersos scripsit innumerabiles. Diuersi quoque generis infinita & elegantissima carmina edidit, quæ in lucem suo tempore prodibunt.* Enimvero tam promptus & elegans versificator est, vt similem nunquam habuerit, si ad maiestatem carminis & omnis Philosophiæ ac eruditionis notitiam mentem apposueris. Viuit vsque hodie in Italia Carmelitici Ordinis vnicum decus, Princepsq;

cepsq; Doctorum, & multa componit, indies publicanda.

**A**Rnoldus Bostius, natione Teutonicus, Conuentus Gandauensis in Flandria, vir in diuinis Scripturis studiosissimus, & valde eruditus, atque in secularibus litteris egregie doctus, ingenio promptus, & clarus eloquio, Theologus, Philosophus, & Poëta insignis, metro exercitatus & prola; vita & conuersatione deuotus, & regularis disciplinæ amator & custos præcipuus, scripsit metro & prola quædam præclara Opuscula, quibus nomen suum multis innotuit. E quibus ista feruntur: *Volumen prosaicum versibus mixtim interpositis, quod de Patronatu Dei Genitricis Carmelitici Ordinis prænotauit, lib. 1. De illustribus Viris Ordinis sui, lib. 1. De illustribus Viris Ordinis Carthusiens. lib. 1. De purissima Conceptione Dei Genitricis & Virginis Maria contra Vincentium de nouo Castro, lib. 1. De quatuor nouissimis, lib. 1. Sermones quoque varij. Epistolas tam ad me, quam ad alios multas edidit, quarum incertus est numerus. Carmina etiam complura de varijs materijs edidit. Alia quoque nonnulla composuit, quæ ad notitiam nostram non venerunt. Viuit adhuc Gandau, varia componens, & multos ad studium literarum prouocans,*

**I**oannes de Aqua veteri, natione Teutonicus, patria Brabantinus, Conuentus Mechliniensis, vir in diuinis Scripturis studiosus, & longa exercitatione peritus, in declamandis ad populum sermonibus excellentis ingenij, Ordinisq; sui studiosus amator & cultor deuotus: Scripsit ad multorum Fratrum instantiam & ædificationem *de Initio, Progressu, & Statu sui Ordinis commendabile Opus, quod prænotauit, Fasciculum temporum tripartitum Ordinis Fratrum B. Maria semper Virginis de monte Carmeli, lib. 3. In quorum primo ELIAM & PRO-*